

CLXI.

U. 240 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 274. f. per duas columnas non una manu, bene tamen perscriptus, minio distinctus et quondam, ut praenotatur, *Jacobi diēti Sopweyn ex Olmuncz predicatoris in Noua Ciuitate*, dein *D. Johannis Raskuli Carthusiani prope Dolan*, nempe *Moraviae*, *D. Thomaē Aquin. Catenam auream*, sed in solum *Matthaeum* continet ab Exemplo mox adlato nihil abluentem.

CLXII.

R. 3306 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 197. f. maj. per duas columnas caractere minore, atro, splendido perscriptus, coloribusque illustratus amplas in *Matthaeum* primum, tum in *Lucam Postillas* continet, quarum priores ineunt: *Quattuor sunt minima terre &c.* posteriores vero: *Vidi et ecce quattuor quadrigae &c.* Ad calcem Codicis legas: *Explicit postille super Lucam Secundum fratrem Hugonem de Sancto Jacobo.* Variis Vir hic ex Ord. Praed. ad purpuram cardinalitiam promotus, primus *Concordantiarum* biblicarum designator, et a. 1262. extinctus cognominibus a Librariis mactatus est. Audit enim *Hugo de S. Charo*, vulgo *de Saint Chers*, de *S. Theuderio*, seu *Theoderio*, vel *Theodorico*, de *Vienna*, et a commoratione in Conventu Parisino *Jacobita*, aut de *S. Jacobo*, uti videre est apud Ord. Bib-

liothecario. T. I. p. 194. ubi etiam enumerantur Operis, quod prae oculis habemus, Editiones.

CLXIII.

U. 144 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis, Folior. nunc 134. f. per duas columnas exaratus et rubro pernotatus est *Catena PP. in D. Matthaei Evangelium*, de qua *Εισαγωγης* principium deperit, ita, ut nunc prima sit *Augustini de Haeres.* autoritas: *Sabellium discipulum noeti quidam perhibent qui dicebat Christum eundem et patrem et spiritum sanctum.* Initium ipsius Expositionis est: *Liber generationis ihesu christi filij dauid. non ergo liber ewangelij ihesu christi sed liber generationis &c.* Expositio porro depromitur ex *Augustino*, *Glossa*, *Cyrillo Alex. Leone*, *Remigio*, *Ambrosio*, *Johanne Chryso.* *Hieronimo*, *Rabano*, *Hilario*, *Gramadio* (*Gennadio*) *de eccl. Docum.* *Origene*, *Beda*, *Sulp. Severo*, *Theodoro Abucara*, *Petro Alphonso*, *Gregorio M. Gregorio Nyss.* *Theophilo Alex.* *Pseudodionysio*, *Maximo &c.* *Bernardum* tamen non reperi; unde de *Catena* hujus aetate, quemadmodum e reliquis de praeclaro Collectoris studio, adparatuque librario concludi potest. Finit ille in *Leone* his verbis: *qui sursum inuitat ad gloriam, cuius glorie participes nos faciat ipse christus rex glorie qui est deus benedictus in secula seculorum Amen.* Succinente Librario: